½ bone Cal.

DE SCALAE

IN VASORUM PICTURIS SIGNIFICATU

EPISTULA AD J. LIGNANA

UNIVERSITATIS NEAPOLITANAE PROFESSOREM MISSA

AB

HENRICO HEYDEMANN

Ex Annalibus Instituti archaeologici anni 1869.

ROMAE
TYPIS SALVIUCCIANIS
impensa Instituti
1869

In vasorum quae Italia inferior et imprimis Apulia in lucem edit picturis saepe [1] instrumentum reperiri notum Tibi est, vir doctissime, quod formam exhibet parvae scalae et vulgo scalae mysticae nomine appellatum iis qui archaeologiae student summas movit difficultates. Vasorum musei Tui Neapolitani multitudinem indigestamque molem perscrutanti mihi contigit ut novum et fortasse verum illius scalae significatum cognoscerem. Quem hac epistula Tibi propositurus antea breviter percensebo varias sive opiniones sive conjecturas quas viri docti hac de scala, paucis monumentis de quibus infra dicemus exceptis, tantum in vasis inventa pronuntiaverunt. Sunt autem interpretum genera duo quorum alteri symbolicam esse scalam, alteri domesticum fuisse instrumentum opinantur, nullo tamen justo fundamento innisi.

Primus omnium qui scalam interpretatus est Gorius [2] eos scala usos fuisse arbitratus est qui sacra donaria suspendere in honorem Jovis vel etiam admota scala simulacra ejus comere atque exornare vellent.

[1] Exempli gratia videas mus. Berolin. num. 995, 1009, 1019, 1020, 1022, 1188 etc; mus. Monac. num. 849; mus. Jattae num. 407, 649, 959, 1708; mus. Neapolit. num. 21, 1996, 2577, 2680, 2921, 2923, 3221, 3222, 3256 etc.; mus. Santangel. num. 308, 360, 366, 530, 554 etc. etc.

[2] Gori *Mus. Etrusc.* (1737) II p. 321.

Inde Passerius [1] summa cum sagacitate symbolum Fortunae deae scalam fuisse putavit, qua interpretatione in alius generis monumentis infra illustrandis optime utemur.

Tum Italinsky [2], vasorum Hamiltoniorum interpres, symbolicam esse scalam ab Aegyptiis acceptam et animarum purgationem repraesentare halucinatus est, quae opinio quamquam pro mera conjectura jure habita et vituperata [3], tamen ab nonnullis diversum in sensum modumque probata est.

Longum post temporis spatium Millinus [4] scalam instrumentum textorium esse voluit, id est pectinem quem Graeci (Poll. *Onomast.* VII. 35, 36) σπάθην seu κτένα vocarunt (germanice *Weberkamm;* ital. *rastrello;* gall. *peigne de tisserand;* brit. *reed*). Quae interpretatio tantum habuit probabilitatis ut haud pauci archaeologi, Gargallo [5], Cavedonius [6], Guigniautius [7], Rochettius [8], alii ei assentirentur. Mihi quoque, cum pectinem quo in Italia inferiore hodie textores utuntur vidissem, Millinus (l. l.) illud instrumentum ad feminarum occupationem spectare persuaserat.

[1] Passeri *Pict. Etrusc.* (1767) I p. 7.

[2] Tischbein *Vas. Hamilton.* (ed. Neapol. 1795) II p. 68, III p. 58.

[3] Cf. *Gött. gel. Anz.* 1798 p. 1659.

[4] Millin *Peint. de vases grecs* (1810) II p. 29; *Descr. des tombes de Canose* (1816) p. 25: *la machine à tisser, qui sur les vases peints est avec le calathus le signe ordinaire des travaux auxquels les femmes se livraient dans les gynicées.*

[5] Gargallo-Grimaldi *Annali dell'Inst.* 1843 p. 27.

[6] Cavedoni *Bull.* 1845 p. 29 III: *non telajo, ma meglio rastrello da ordire; i globetti indicano i fili dell'ordito.*

[7] Guigniaut *Rel. de l'antiq.* (1849) ad tab. 145 bis, 419 b: *un instrument, qui se rapproche de la forme d'une échelle et que l'on prend pour un métier à tisser.*

[8] R. Rochette *Antiq. chrét.* (1836) II p. 87 s: *un métier à tisser, servant à indiquer symboliquement une des occupations les plus habituelles des femmes grecques.*

Quam Millini opinionem symbolicum in sensum adhibuit alius aliter: ita Inghiramius [1] scalam symbolum vocat Proserpinae eaque vestem indicari dicit qua mortuorum animae induantur; idem opinati sunt Creuzerus [2] noster, Lenormantius [3] Gallus qui Circae reginaeque inferorum artes magicas in symbolo illo audacius quam rectius cognovit, Minervinius [4] Italus qui pro mortis acerbae signo habuit.

Contra Millingenius [5], vir de vasis explicandis et interpretandis optime meritus, Millini conjecturam ita corrigere correctaque uti voluit ut adhibitis iis quae ecclesiae doctores [6] memoriae tradunt, illo pectine textorio in Cereris mysteriis naturam muliebrem (Poll. *Onomast.* II 174) esse indicatam suspicaretur; quam opinionem μυστικωτάτην quod non pauci secuti sint nemo est quin miretur. Quorum in numero est Gerhardus [7] quem primo scalam pro Bacchi atque ecstasis mysticae symbolo [8] habuisse Millingenique opinionem omnino rejecisse [9] compertum habemus; neque aliter

[1] Inghirami *Mon. Etr.* (1824) V p. 278 s: *telajo, indicando il drappo che Proserpina prepara onde vestirne le anime; i globetti sono le gioie che abbelliscono un drappo.*

[2] Creuzer *Symbolik* II ed. (1821) 3 p. 501; III ed. (1843) 4 p. 150 et p. 154 ss: *Weberin Proserpina.*

[3] Lenormant *Élite cér.* (1861) IV p. 103: *le métier à tisser, en reportant l'esprit aux enchantements de Circé, rappelle les enlacements de la déesse infernale.*

[4] Minervini *Bull. Napol.* (1845) III p. 37 s: *telajo, che richiama al mistico avvenimento del ratto di Proserpina . . . poteva indicare che il defunto fosse stato acerbamente colpito dalla morte.*

[5] Millingen *Annali* 1843 p. 86 ss.

[6] Cf. Clem. Alex. *Protrept.* II § 22 p. 6 Sylb: κτεὶς γυναικεῖος, ὅ ἐστιν, εὐφήμως καὶ μυστικῶς εἰπεῖν, μόριον γυναικεῖον. Theodoretum qui in sermonibus III p. 521 et VII p. 583 (edit. a. 1642) idem refert in manibus habere mihi non licuit.

[7] Gerhard *Arch. Zeitg.* 1849 p. 64.

[8] Idem *Etr. Spieg.* (1843) I p. 39,31: *mystischer aufschwung.*

[9] Idem *Apul. Vasenb.* (1845) p. 12,16; p. 19: *mystische leiter.*

De Wittius [1] et Minervinius qui priore interpretatione missa aliquod per tempus pectinem indicare naturam muliebrem et ad procreationem referendum credidit [2]: dico per aliquod tempus, quoniam postea [3] scalam pectinem esse textorium Cererisque symbolum pro certo habuit.

Alii autem archaeologi, Passerianam interpretationem secuti, nihil aliud quam scalam esse judicarunt symboliceque interpretati sunt: ita Rochettius [4] quem primo Millini opinionem accepisse diximus, ad scalae mysticae nomen ac speciem rediit; Sanchezius [5] Neapolitanus et Pylius [6] Grypsvaldensis desiderium caeli quod animae concupiscant scala exprimi halucinantur; Jahnius [7] forsitan Veneris esse symbolum suspicatus est, quam conjecturam cautissime pronuntiatam Wieselerus [8] summa cum doctrina comprobare studuit, Stephanius [9] sine mora amplexus est.

Denique ne quam interpretationem mihi notam praeteream, Odofredi Muelleri [10] addo opinionem qui

[1] De Witte *Élite céram.* (1861) IV p. 208 et saepius.

[2] Minervini *Bull. Nap.* (1848) VI p. 24: *il significato del simbolico kteis come relativo alla generazione.*

[3] Idem *Bull. Nap.* N. S. (1857) V. p. 170.

[4] R. Rochette *Mon. inéd.* (1833) p. 180 not: *l'échelle mystique*; *Mém. de numismat. et d'antiq.* (1840) I p. 21,1.

[5] Sanchez *Tombe di Ruvo* (1836) p. 23: *la scaletta, emblema della meditazione dell'anima al cielo.*

[6] Pyl *Symb. darstellungen der Griechen* (1855) p. 21: *leiter als webinstrument andeutung wie spindel der parzen, als leiter streben nach dem höheren heiligen.*

[7] Jahn *Aberglaube des bösen blicks (Ber. der Sächs. Ges.* 1855 p. 94 s): *vielleicht symbol der Aphrodite, aber erweisen lässt es sich nicht*; neque aliter scribit in *catal. vas. Monac.* p. 135,997.

[8] Wieseler *Commentatio de scala symbolo* (Univ. Gotting. progr. 1863) p. 11 ss.

[9] Stephani *Compte-rendu* 1863 p. 160.

[10] Müller *Hdb. der arch.* (ed. Welckeriana 1848) § 430, 1. p. 756: *die leiter wohl nur ein geräth bänder aufzubewahren oder etwas ähnliches.*

scalam instrumentum esse dicit ad fascias teniasve conservandas aut aliquid simile.

Quibus interpretationibus enumeratis jam meam sententiam proferam eamque spero me Tibi probaturum, quoniam omnium unica certum, non mysticum habet fundamentum. Scalam enim illam in vasis pictam pro vera scala nimis parvam, pro amuleto autem nimis magnam esse mecum omnibus persuasum est; symbolum vero sive Cereris sive Proserpinae sive Veneris sive Bacchi scalam fuisse cum ab nullo auctore antiquo memoriae traditur, tum monumenta ipsa quominus hoc credamus obstant in quibus, ut infra videbimus, cum diversis musicae instrumentis conjuncta reperitur scala de qua agimus. Quibus ex monumentis – quae Millini quoque conjecturam confutant – quamquam recta interpretatio apparere potuerat, tamen nemo adhuc scalam illam musicae esse instrumentum intellexit, antequam concione Instituti archaeologici habita breviter docui [1]. Summo autem mihi gaudio est quod – ut per litteras certior factus sum – Johannes Jatta Rubestinus in catalogo [2] vasorum suorum nondum publici juris facto omnino hujus meae opinionis ignarus eandem proposuit: at quia vas illud Neapolitanum quo mea interpretatio nititur virum doctissimum fugit, quaestionem ad liquidum non perduxit neque aliorum mysticas argutias farraginemque symbolicam expulit.

[1] *Bull. dell'Inst.* 1869 p. 13; cf. ibid. p. 127, 9.

[2] Jatta *Catal. del museo Jatta* p. 80 et p. 142 ad vasorum num. 407, ubi legitur: *ma io credo, che esso, attesa la sua piccolezza rispetto all'ordinaria grandezza di una scala, piuttosto esprima un instrumento sacro musicale del genere del sistro, anzi una varietà del medesimo etc. laonde piacemi ritenere le piccole scale delle vasarie pitture per istrumenti del genere del sistro che scossi o picchiati rendevano un suono, e così ravvisare in esse un simbolo ancora dei misterj (?).*

Vasculum illud (long. 0, 18 metr; diam. 0, 08) quod inter Musei Neapolitani vasa num. 3382 inscriptum est Alexandro Castellani auctore decem fere ante annos in Capuae veteris agro (apud S. Maria di Capua) erutum esse dicitur; benevolentia Fiorellii v. cl. picturas in tabula sub litt. P adjuncta edituri sumus. Singularis vel unica est forma (tab. P, e) quae dolii simillima est, singularis pingendi modus cum instrumenta figuraeque colore albo, rubro vestes pictae sint. Ars rudem ac pessimam se praebet; adde quod temporis injuria superficies laesa lineaeque internae fulvo colore pictae fere omnes exstinctae sunt. Sed picturarum pretium stat in argumento quod modo exponemus. Sunt igitur picturae quattuor quarum binae ita conjungendae sunt ut figurae tres unam scenam offerant. In una pictura (a) femina tibiis canit musicamque Papposileno ithyphallico excitat qui coronam ceu margaritarum lineam tenens saltat; altera in parte (b) alter Papposilenus et ipse ithyphallicus appropinquat utraque manu tibiam tenens: utrum autem saltare an canere velit quis est qui decernere audeat? In tertia pictura (c) duas feminas quarum inferior corporis pars peplo velatur cernimus – duas dicimus, cum figura quoque quae dextra Tua sedet, quamquam pectoris lineae sparsae sunt, ob similem capitis ornatum vestemque probabilius muliebris esse videatur –, altera cum cithara et plectro, altera cum duobus instrumentis quorum interpretatio non ita certa est. Mihi stylum et diptychum complicatum esse praeter alia [1] vasa hujusmodi repraesentationibus exornata pictura adhuc inedita lecythi (num. 2004; alt. 0, 30; circuit. 0, 23 metr; vide tab. P, f) ejusdem musei

[1] Cf. Gerhard *Auserl. Vas.* 4,244; Minervini *Bull. Nap.* N. S. VI 4,1.

Neapolitani valde comprobat ubi poeta quidam juvenis stylum diptychumque tenens meditatur et scribit. Qua de interpretatione fortasse sub judice lis erit; contra, ni fallor, nulla lis nulla discordia de instrumentis quae sexta vasis figura (d) quam pro viro judicarim manibus tenet, moveri potest. Esse enim plectrum et scalam nostram apparet ut quod per saeculum tot vexavit archaeologos jam instrumentum aëneum esse musicum constet et ad ea instrumenta pertinere quae Pollux (*Onomast.* IV. 58) ὄργανα κρουόμενα καὶ πληττόμενα vocat. Quod ad formam spectat, instrumentum quo nostra quoque aetate utimur (germ. *hackbrett*; ital. *sistro a vetro*; gall. *tympanon* sive *bûche;* brit. *cymbal* sive *dulcimer*) in comparationem vocari potest.

At forsitan aliquis dixerit: vera esse non potest tua scalae interpretatio, quoniam sexcenties sine plectro reperitur; unum solum habes exemplum ubi plectrum apparet. Ita sese rem habere non nego; sed respondendum est, ut sexcenties citharoedi cithara canentes sine plectro [1] reperiantur, ita plectrum nostro quoque instrumento semper addi necessarium non esse. Quam ob rem cum vasis Capuani pictura tum his quae sequuntur observationibus motus illam scalam, etiamsi plectrum absit, instrumentum esse musicum, in quo sonitus aliter excitetur, contendo atque pro certo habeo.

Non raro enim, vir doctissime, in vasis scala quae dicitur cum aliis musicae instrumentis sive tibia sive tympano sive trigono [2] conjuncta ad musicam excitandam cernitur. Exemplum optimum Musei Jattani vasculum (num. 1115; alt. 0,09; circuit. 0,21 metr.) nobis praebet cujus picturam adhuc ineditam

[1] Exempli gratia vide Gerhard *Auserl. Vas.* 4, 305. 306.

[2] Cf. vas. musei havniensis descriptum a Birket Smith (*Malede vaser* num. 154; *Gött. gel. Anz.* 1863 p. 1945).

quod in tabula Q 1, 2 edere licet possessoris summae benevolentiae atque promptae erga me voluntati debeo. Hic pompa (ut turibulum docet, sollemnis) Amoris scalam portantis et puellae cujusdam quae tibiis canit repraesentatur. Eodem ex museo tria ejus modi exempla congerere pergimus quorum primum (num. 818; alt. 0,10; formam videas apud Jahnium *Catal. Monac.* I 10) uno latere Amorem habet muliebriter ornatum et sedentem qui tibiis canit et feminam quae sinistra scalam tenet, victoriae coronam dextra ei porrigentem; posterior vasis pars juvenem nudum offert sedentem et coronam tenentem qui alabastrum dat puellae cujus in manibus corona cistaque sunt. Altero in vasculo (num. 1024; alt. 0,08; formam vide l. c. I 22) Amor sedet cum pila et columba quam feminae ostendit quae scalam speculumque tenens tympano insidet. Denique tertium exemplum in praefericuli (num. 1323; alt. 0,30 metr.) pictura videmus: stat Amor cum corona pateraque inter mulieres quarum altera speculum uvamque, altera scalam tympanumque tenet. Quae exempla si non sufficiunt, alia non pauca museum Neapolitanum praebet in picturis vasorum quae num. 21 et 3221 vel collectionis Santangelianae num. 308 et 554 inscripta sunt: ubi aut cum tympano (3221, 308, 554)[1], aut cum tibiis (21) scala nostra conjuncta est ut dubitare non possis quin scala musicae sit instrumentum.

Nunc ad alteram observationem vertimur quae quomodo musica sit excitata docet. Plurimae vel fere omnes vasorum scalae quae vocantur mediis in lineis ceu gradibus puncta habent, cujus rei aliquot exempla ex musei Neapolitani vasis[2] petita in tabula quae

[1] Adde vasculum quod describitur *Bull. dell' Inst.* 1869 p. 127, 9.
[2] Vasorum num. 2577, 2680, 2921, 2923, 3221, 3256.

sub litt. Q adjuncta est composui; quod autem nonnullae [1] reperiuntur scalae ubi ob pictorum neglegentiam puncta illa desunt, non ita mirum est. Quae puncta plurimi archaeologi minimi habuerunt momenti atque neglexerunt; contra Inghiramius (l. c.) pro margaritis quae telam decoraverint habuit et Cavedonius (l. c.) telae ordines illis punctis indicari putavit. Me judice haec puncta vel anuli vel laminae sunt quae etsi affixa, tamen ita mobilia sunt ut scala vibrata sonum excitent: ne plura, scala musicae est instrumentum non dissimile sistri Isiaci quod idem parvis baculis mobilibus vibratis sonum dat.

Quae cum ita sint, hujus scalae genera discerni possunt duo quorum alterum quod rarius fuisse videtur plectro concutiebatur, alterum vero quo nihil frequentius fuit vibrabatur vibratumque sonabat. Quo autem nomine novum instrumentum musicum vocandum sit, nondum constat, cum inter tot instrumenta a Polluce (*Onomast.* IV, 59) aliisque auctoribus descripta et enumerata nullum sit quod cum scala quae dicitur bene congruat. At quoniam usque ad hoc temporis spatium scala praecipue in Apuliae vasis invenitur et huius Italiae regionis proprium fuisse instrumentum videtur, *sistrum apulum* vocarim quod nomen Te aliosque viros doctos recepturos esse spero.

Restat ut paucis verbis aliorum artis antiquae monumentorum quae scalam praebent mentionem faciamus. Prius autem non monere nequeo cistam [2] illam aëneam Kollerianam, quae scalam exhibet, mihi quoque cum Gerhardo aliisque falsam videri et hanc ob

[1] Exempli gratia vide Gerhard *Apul. Vas.* VIII; XII. Est autem observandum punctorum vestigia saepissime evanescere quoniam albo colore sunt picta.

[2] Gerhard *Etr. Spiegel* I 17; cf. Schöne *Annali* 1866 p. 151.

caussam praetermitti; adde quod tam pictura [1] Herculanensis ubi Braunius scalam cerni credidit eamque donum esse deo alicui ex voto datum conjecit, quam gemma [2] vitrea Stoschiana, in qua nonnulli pectinem aut scalam viderunt, nimis laesa parvaque est et nos Wiesclero (l. c. p. 7 et p. 13) nihil ex utroque monumento certi effici libenter concedimus.

De monilis [3] autem aurei quod in museo Vindobonensi conservatur scala cum aliis instrumentis amuletisque minimae formae affixa res me judice in dubio semper haerebit: esse potest aut instrumentum aliquod — seu illud rusticum quod Arnethius (l. c.) intellegere vult germaniceque *maulgitter* vel *maulgatter* vocat [4], seu, quod malim, vera scala [5] — aut illa scala quae pro amuleto est [6]. Eam enim amuleti locum tenuisse cognoscitur ex duabus scalis parvis quae cum aliis amuletis repertae sunt; quarum altera [7], in sepulcro Romano Coloniae ad Rhenum effossa, nunc in museo Bonnensi extat, altera [8] quae in cista Pennachiana reperta est, olim [9] in museo Neapolitano cerni potuit, me autem inter illius cistae membra hodie per diversa armaria disjecta studiosissime perscrutantem fugit.

Eundem in sensum illustrandam esse scalam a

[1] *Pitture di Erc.* V p. 153; Braun *Ann.* 1840 p. 138.

[2] Descripta a Tölkenio p. 115, 239 (Winckelmann *Descr. Stosch.* I p. 27, 122); aeri incisa visitur apud Gerhardum *Arch. Ztg.* 1849 VI 9 p. 60 ss; cf. Paucker ibid. p. 112.

[3] Arneth *Ant. Gold-und Silbermon.* G 1 p. 19.

[4] Cf. Adelung *hochd. Wörterb.* instrumentum est fabrorum; cujus ope equorum os aperiri solet.

[5] Non aliter ni fallor opinantur Sacken et Kenner *Samml. des. k. k. Münz-und Ant. Cab.* (1866) p. 340 A.

[6] Cf. Jahn *Aberglaube des bösen blicks* p. 95, 275.

[7] Overbeck *Catal. des rhein. Mus. zu Bonn* p. 146.

[8] Gerhard *Etr. Spieg.* I 12, 6 p. 36 ss; Jahn l. c. p. 41, 44 a. tab. 4, 15.

[9] Gerhard *Neapels ant. bildw.* p. 232.

femina [1] illa crura divaricante porcoque insidente portatam omnibus persuasum est; hanc figuram quam inter musei Berolinensis opera argillacea invenimus alius aliter [2] vocat: contra Jahnius [3] feminam illam non mythologicam, at solummodo apotropaeum obscaenum esse optimo ut mihi videtur jure contendit.

Denique nobis et scala quae pro clypei signo adhibita in vase [4] apud Volcentanos eruto visitur et scala quam in tribus discis [5] argillaceis inter diversorum numinum symbola [6] reperimus interpretandae sunt. Quarum priorem ego quidem – Teque mihi accessurum spero – contra Wieselerum [7] non aliam quam muralem habere possum, id quod aptissimum mihi clypei ornamentum videtur; altera autem scala Fortunam deam indicari opinor Passerianam illam conjecturam quam supra laudavi secutus. Et quis est qui in discis illis inter aliorum deorum symbola scalam neget symbolum esse Fortunae de qua Horatius (*Carm.* 135, 2):

praesens vel imo tollere de gradu
mortale corpus vel superbos
vertere funeribus triumphos

[1] *Annali dell' Inst.* 1843 tab. E; Gerhard *Vas. u. Terrac.* (1851) p. 45, 117.

[2] Millingenius (*Annali* 1843 p. 72 ss), cui De Wittius (*Él. cér.* 4 p. 208,2) assentitur, Baubonem vocat, Minervinius (*Bull. Nap.* III p. 37 s) Cererem, Wieselerus (*de scala* p. 13) Venerem περιβασώ.

[3] Jahn l. c. p. 93, 267.

[4] Mus. Berol. num. 669; edita a Gerhardo *Etr. camp. Vas.* 15. 16; cf. Levezow *Vasenkatal.* num. cit.

[5] *a*) Jahn *Böser blick* tab. V 3 p. 52,90 ss. *b*) Minervini *Bull. Nap.* N. S. V 6, 2 p. 169 ss: qui discus in museo Neapolitano extat. *c*) tertius discus simillimus inter musei Berolinensis opera argillacea num. 5875 visitur.

[6] Videmus Jovis fulgur Neptuni tridentem Vulcani forcipem Mercurii caduceum Apollinis lyram Herculis clavam Minervae noctuam Cereris taedam Veneris columbam Dianae lunam etc. etc.

[7] Wieseler l. c. p. 7 s; cf. Fuchs *de ratione quam artif. in clipeis imag. exornandis adhibuerint* p. 12 ss.

cum Aelianus [1] Pittacum illum Mytilenaeum ob fortunae varietatem scalam dedicasse memoriae tradat?

Et hactenus de vero scalae quae mystica vocabatur significatu jamque vir doctissime

Vive vale! siquid novisti rectius istis
Candidus imperti; si non, his utere mecum!

H. Heydemann

---

[1] Ael. *Var. Hist.* II 29: *Πιτταχὸς ἐν Μιτυλήνῃ χατεσχεύασε τοῖς ἱεροῖς χλίμαχα, εἰς οὐδεμίαν μὲν χρῆσιν ἐπιτήδειον, αὐτὸ δὲ τοῦτο, ἀνάθημα εἶναι· αἰνιττόμενος τὴν ἐχ τῆς τύχης ἄνω χαὶ χάτω μετάπτωσιν τρόπον τινά, τῶν μὲν εὐτυχούντων ἀνιόντων, χατιόντων δὲ τῶν δυστυχούντων.* Cf. Wieseler l. c. p. 8 s; Schwenk *Sinnbilder der alten Völker* p. 272; Conze *Gött. gel. Anz.* 1863 p. 1946.*




Tav. d'agg. Q.



2.



3221.



3256.